



Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

Parisiis, 1644

Epistola CCXIII. Ioannis Papae VIII. Ad Bosonem Comitem. Vt Arembertum
& quosuis alios a Vendoara villa remoueat, eamque Pultariensibus
restituat, & monasterium ipsum tueatur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15967

priuatum, si in eadem villa vterius temere intrare , aut aliquam ibi contrarietatem facere præsumperit.

EPISTOLA CCXIII.

IOANNIS PAPÆ VIII.

AD BOSONEM COMITEM.

Vt Arembertum & quoquis alios a Vendoara villa remo-
ueat, eamque Pultariensibus restituat, &
monasterium ipsum tueatur.

Dilecto filio Bosoni glorioſo principi.

QVANTA vos dilectione, quantoque nostræ paterni-
tatis dilexerimus affectu ex eo quo vestram subli-
mem cognouerimus gloriam, ipsi abundanter recolitis:
quoniam & vestra nos excellentia, veluti patrem spirita-
lem, in omnibus colere & honorare animo tranquillo cu-
rrauit. Quo videlicet mutuae dilectionis feedere confisi, ea
quaæ sub iure sanctorum apostolorum principum Petri ac
Pauli per totius Galliæ prouincias immobilia loca confi-
stunt, cum hominibus, omnibusque sibi pertinentibus, vt
vestro potenti brachio defensa manerent rogauiimus, ve-
stroque auxilio secura confisterent. quod vos pro amore
Dei & S. Petri, nostroque honore, nobis libenter facere
promisistis. Nunc autem, sicut audiuimus, villam nostram
Vendoaram absque nostro consensu & voluntate occupa-
tis, & vni vestro vasallo, nomine Aremberto, in benefi-
cium dedistis, &, si verum est, non bene, sicut vos dece-
bat, egistis. Ideo rogamus, fili carissime, celsitudinem
tuam, vt propter amorem Domini, & S. Petri cælestis re-
gni clauigeri, ipsam villam nostris, qui ibidem resident,
hominibus sub nostro iure, sicut nos eam ordinauimus, li-
ceat habere securiter: omnesque vestros, vel alienos ho-
mines ab eiusdem villa habitatione vel dominatu remo-
ueatis: nec vestris diebus aliquam a quocumque homine
contrarietatem patiamur. Simili etiam modo petimus, vt
monasterium S. Petri, quod appellatur Pultariense, & Ge-
rardus quondam comes de rebus suis perfecit, atque dota-
uit, & sancto Petro tradidit, vestra in omnibus tuitione ad-
iuuetur: quia fratres qui in eo consistunt, & sedulas Deo lau-
des persoluunt, orantes pro salute omnium in Christo cre-

Concil. Tom. 24.

I iij

dentium , ab inimicis vicinis perturbantur , omnisque illorum , imo nostra familia crudeliter assidue vexatur & opprimitur , ita sane vt neque arare , neque cetera , quæ ad terræ culturam pertinent , possit exercere . Quapropter & vestrum auxilium eidem sancto loco impendatis , & contra Dei atque eius aduersarios manum vestræ potentia , pro amore Dei , & sanctorum apostolorum Petri ac Pauli , nostraque dilectione extendatis , quatenus vestro potenti brachio freti , salui in omnibus & securi consistant , vt & in praesenti dignas a nobis retributiones & in futuro multiplicem a Domino valeatis mercedem recipere .

EPISTOLA CXXIV.

IOANNIS PAPÆ VIII.

AD GVAIFERIVM PRINCIPEM SALERNITANVM.

Monet vt a molestiis desistat , quas Capuanis inferebat .
significat se in eius regiones iturum ,
& discordias sedaturum .

Nobilissimo viro Guaiferio glorioso principi .

RELATV quorundam didicimus , quod suadente humani generis inimico , qui totius inimicitiae , & mortis est auctor , cupiatis multiplicita damna , & aduersa inferre Capuanis ; & propter discordia malum , quod saeculi quotidie liuore generatur , & inter propinquos , atque amicos accrescit , cogitatis generale discrimen præbere , vnde scilicet non modica turbatio his vestris in partibus oriatur , & longi temporis scandalum maneat . Et dum non desint extranei hostes , cum quibus assidue luctamen habeatis , vultis contrarietatis discrimina præbere propinquis quos in auxilium vobis opportunum poteratis habere fautores . Nos idcirco , more paterno , vos quasi dilectum filium admonemus , & ex Dei omnipotentis auctoritate , beatorumque apostolorum Petri & Pauli potestate , prohibemus , vt non habeatis licentiam super præfatos Capuanos ire , neque aliquam illis contrarietatem inferre usque ad nostrum specialem aduentum . Quoniam , Deo auxiliante , cum huius aestui temporis feruor transferit , pro omnium vestrum salute , concordia & ynanimitate , has vestras in partes veniemus : quatenus , nobis præsentibus ,